

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1046

1044

1050

1040

1055

1035

1095

0995

0945

0545

0045

Ende

Anfang

473

passus in terra sancta, proditus Sarracenis ab eis. Ut autem
humanius a fidelibus tractentur, mentiendo dicunt, se esse de
superiori Aegypto et in poenitentiam agendum (b) emissos,
pro eo, quod beatam Virginem cum pueru Jesu et Joseph
nolebant hospitio suspicere, quando fugerunt in Aegyptum.
Quod fictitium est. Sic etiam fingunt se Christianos et bap-
tizantur et rebaptizantur et derisores sacramentorum sunt.
Nos eorum quendam sciscitati fuimus, qua ex patria esset?
Respondit, se Chaldaeum cum omnibus, linguaque chal-
daea semper eos uti consuevisse.

Contermina est Chaldaea Assyria, quae grandis provin-
cia est, in qua Ninus Niniven civitatem maximam aedificavit.
Ambae hae civitates, Ninive et Babylonie, supra flumen
Euphratrem sunt sitae, una a Nino rege, altera a Semiramide
regina constructae, longe ab invicem distantes. Est etiam
consequenter Mesopotamia inter Euphratrem et Tigrim fluvios
paradisi, post quam sequitur Armenia et multae aliae regiones.
Deinde convertimus nos ad occidentem et ad dextram a longe
vidimus montes Arabiae, quos nominant catenam mundi, qui
sunt ex opposito terrae sanctae ultra Jordanem et mare mor-
tuum. Inter haec montana praeeminet mons Nebo, Phasga,
et Abirim, in quem ascendit Moyses jussu Dei ad contem-
plandam terram sanctam, ut habetur Deuter. 34. Hunc mon-
tem manifeste vidimus in monte Synai. De his montanis dic-
tum est P. 1. f. 210. et fol. 243.

Vidimus etiam in deserto montem Or, in quo Aaron obiit,
ut habetur Num. 20. Porro propter montana deserti et mon-
tana Arabiae praedicta Judaeam videre non poteramus, nec
Palaestinam, nec mare magnum, et propter nimiam distantiam;
situm tamen terrae sanctae et plagam optime novimus. Unde
contra terram sanctam et civitatem inclitam Jerusalem pro-
strati adoravimus dominicum sepulchrum et loca sancta et
efficaces illas orationes esse speramus, ex eo, quod dicitur
3. Reg. 8: Si adoraverunt te contra viam terrae sanctae et
civitatem, quam elegisti, et templum nomini tuo aedificatum,
tu exaudies eos, Domine.

Vidimus etiam deserta et solitudines, per quas vagaban-
tur filii Israel XL annis, et montes, per quos nos descendimus,

